

# The Digital Viridarium consolationis Project

## Pars 4: De aliis virtutibus Caput 10: De elemosina (17)

Gregorius:

Multi proximis quasi misericordie opera impendunt,  
sed iniustitiae facta non deserunt.

Qui ergo misereri vult proximo,  
necessae est ut ad se trahat originem serviendi,  
sicut scriptum est: Dilige proximum tuum sicut te ipsum.  
Quomodo ergo miserendo alteri pius est,  
qui adhuc iniuste uiuendo fit impius semetipsi?

Et qui sibi nequam est aliis, quomodo bonus est aut erit?

Qui itaque indigenti proximo exteriorem substantiam prebet,  
et vitam suam a nequitia non custodit,  
rem suam deo tribuit et se peccato,  
id est dyabolo.

Hoc quod minus est auctori tribuit,  
et hoc quod maius est seruauit iniquitati.

Nam multi proximis quasi opera misericordiae impendunt,  
sed iniustitiae facta non deserunt.

Qui si ueraciter proximis misericordiam facere student,  
sibi ipsis prius debuerant iuste uiuendo misereri.

Vnde scriptum est: *Miserere animae tuae placens Deo.*

Qui ergo misereri vult proximo,  
a se trahat necessae est originem miserendi.

Scriptum namque est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

Quomodo ergo alteri miserendo pius est,  
qui adhuc iniuste uiuendo fit impius sibi metipsi?

Vnde per quemdam sapientem dicitur:

Qui sibi nequam est, cui bonus erit?

Ad exhibendam quippe misericordiam  
ut indigentibus plene exterius ualeat impendi,  
duo sibi necessaria congruunt,  
id est homo qui praebeat, et res quae praebeatur.

Sed longe incomparabiliter melior est homo quam res.

Qui itaque indigenti proximo exteriorem substantiam praebet,  
sed uitam suam a nequitia non custodit,  
rem suam Deo tribuit et se peccato.

Hoc quod minus est obtulit auctori,  
et hoc quod maius est seruauit iniquitati.

Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, 19.23 (CCSL 143A,  
M. Adriaen ed., p.987, ll.89-106).